



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VI. Quia est tota dulcis, tota suavis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

& rationes crescunt donorum: tantò ergò ad servendum Deo promptior quàm debet ex munere, quantò se obligatiorem conspicit in reddenda ratione; B. vero Maria Dei Mater majora dona exhibuit hominibus, quàm Angelis, ergò magis homo tenetur diligere, in quantum poterit, quàm Angelus. At nos cum *Sancti Damiani. serm. de Nativ. B. Virginis.* Felices Angelici Spiritus, qui B. Virginis habere præsentiam, nos interim memoriam abundantia: suavitatis tuæ cruciamus. Si dulcis est memoria, quid erit præsentia?

6. Quia est tota dulcis, tota suavis.

Id omninò ita esse lectis sequentibus historiis quisque judicabit. *S. Hieronymus* de se concionantem amplexata. *S. Bernardus* cum urbem Spiram intrasset, pacem inter Principes Imperij compositurus, & juncturus arma contra Turcaram parantem exterminium nomini Christiano, statuam B. Virginis spectante omni Clero, & populo salutavit illo *Salve Regina &c.* cui audientibus omnibus respondit: *Salve Bernarde.* Statua Spiræ asservatur & miraculis claret, ubi hæc hiltora in marmore brevi rythmo incisa videtur: *Sorori S. Amedei Episcopi Laufanensis* donavit Deipara chirothecam laneam. *Gibbonus Auctor. B. Hermannus* (ut in vita ejus *Sur. 7. April.*) suas delicias sic describit, causam reddens, cur audito nomine Mariæ se humi abjiceret, & diutius hæreret. Ecce quoties ad nomen Sacre Virginis me humi abjicio, odor omnium florum, & aromatum, tantà suavitatis copiam à terra influit in nares meas, ut semper illi hæere vellem, si liceret: spe ergo recreationis hujus, ad prosternendum me festino, sed quia ægrè tantà privor delectatione tardus sum ad surgendum. *De eod. ibid. refertur:* quod per Angelum Virgo Sancta voluerit se illi in Sponsam tanquam Josepho tradi, & pro Hermannus nomen Josephi assumere, novum Sponsum jussit. Cum idem Hermannus à quoddam monasterium Virginum esset descensurus, Virgo hæc prævenit, & monuit moniales, ut hospitem Hermannum omni humanitate acceptarent. Veniam curaverat aliquandò Hermannus incidi, & incubuit lecto cum periculo ventum monuit Virgo jacentem, ut situ securiore decumberet. Eidem, ut & B. Stanislaus Kostka Jesum infantulum tradidit. Aliquandò rigidiorie hyeme sacrum longiusculum celebrabat, interea latera ejus cingebant Jesus & Virgo, hic unum, alterum illa, nè frigore affigerentur fovebat. Accidit ut in faciem prolapsus duos dentes effingeret, eos ubi in manū accepit, Virgo comparuit, & interrogat velut ignorans, quid manuteneret? necdum casum exposuit, tum ori & integritati dentes restituit.

stituit. *Baron. ad annum 1028.* hoc quod sequitur de *Fulberto Abbate Ferraviensi* scri-
 bit, quod illi ægrotanti per visum apparens D. Virgo sua ubera sugenda præbue-
 rit. *Alano Rupensi* cum imperaret prædicationem rosarij, promissit se concionanti
 Adjutricem futuram, miracula patraturam, annulum ex digito suo detraxit, quem
 ex suis crinibus contextum habuit, & Alano donavit, ut est in ejus vita. *Petrus Da-*
miani de quodam Clerico Nevenensis Ecclesiæ, ægro, sed cultore Virginis scribit,
 quod D. Virgo ejus ori lac suum instillaverit, & sic eum sanaverit, hæc *Damiani lib.*
6. epist. 29. Savina vero 23. Jun. in vita B. Mariæ Oegniacensis narrat, quod hæc B. viderit
 D. Virginem cum flabello assidentem cuidam viduæ suæ cultrici febribus æstuanti,
 atque ita temperantem æstum morbi. De *S. Edmundo Archiepisc. refert de Natalibus*
lib. 20. cap. 68. dum ad lumen studeret, atque tantillum obdormisset, ventus lu-
 men extinxit; sed ille excitatus nomen Virginis invocavit, statimque lucerna ac-
 censa est. Ex *B. Vladislai Poloni Cisterciensis* mortui corde enata arbor, in cujus
 folijs nomen Mariæ apparebat. In *B. Eustachij ejusdem Ordinis* post mortem lin-
 gua aureum Ave Maria apparuit, hæc recitat *Catalogus SS. Ordinis Cisterciensis.*
 An non blandam se illi exhibuit homini improbo, de quo *S. Petrus Coelestinus* opusc.
6. cap. 23. Huic devotè quotidie Virginem salutare consuetum fuit: contigit ut
 dum eam salutaret, immanis in eum fames irrueret, adfuit D. Virgo cum cibo
 optimo, sed in sordidissimo vase posito: hic homo ad cibum fame abripi, sed fœ-
 ditate vasis coerceri, jubet Virgo, ut comedat, ille propter immunditiam vasis
 renuit: tum Virgo subjicit, de tali sibi vase ab eo salutationes sibi offerri, com-
 punctus visione abiit in rem, & vitæ reliquū sanctissimè exegit. *Aliud idem refert*
S. Papa opusc. 5. cap. 6. Cum quidam vellet templum erigere in cœmeterio Judæo-
 rum, & illi concedere recusassent, nisi ipsa Virgo Diva ossa eorum humo extra-
 heret, sequenti die omnia ossa exhumata sunt reperta. Cum stræceret *Constantinus*
Magnus Divæ Virgini templum in Gallia teste *Greg. Turonensi*: neque columnas præ-
 magnitudine architectus erigere posset, erat enim uniuscujusq; illarum diame-
 ter longa pedes sedecim, Virgo Sancta comparuit, & iussit ut tres pueri à schola
 vocati columnas illas grandes in altum proveheret, quod & factū. *Maractius cap. 37.*
Fundat. Marian. narrat de *Joanne à Cruce Carmelita* discalceato, Virgini devotissi-
 mo, quod post mortem in ejus membris Conceptionis Virginis vita est imago.
Petrus Douvremannus in bist. Valentiana p. 3. cap. 5. ex authenticis tabulis recitat, quod
 Judæus quidam *Lebarretier* habitabat Villæ (est mancipium Hannoniæ) dives,
 sed septimum jam annum lecto affixus, huic Virgo Diva per quietem apparuit, ac
 partem terræ ab eo flagitat, in qua templum nomini suo extruatur, somnium ille

Hh 3

credi-

credidit, ac neglexit: sed Virgo rursus redit, ac hominem sanat, ille Curionem accedit, petitque consilium, rursus Virgo apparet, ac templum postulat: tum demum ille liberaliter omnia offert: sed cum essent dotales agri, de ijs sine consensu conjugis disponi non poterat, ideoque hæsitabat, quid ageret, (conjunctæ Aquigranensem ad Deiparæ Ecclesiam, pro salute mariti obibat peregrinationem) et subito ope Angelorum sistitur marito, ingens utriusque gaudium, & consilij collatis, statuunt templum erigendum. Primo itaque diluculo sequenti diei, cum Prætor Villano, ac Curione alijsque amicis locum spectaturi abeunt in agrum: en aream vident filo sericeo ad virgulas albas terræ infixas circumdatam, hoc manifestello lati signo, aream Virgini dedicant, sed nondum suavitatis Virginæ finis Linum biduo ante fatum illo fuit loci, hoc statim altera die maturum manus vellentium provocavit: erectum deinde templum, coepit miraculis coruscare.

Sed jam erga Boloniam suavitatem spectemus. Loquuntur *Bolonienfes historici ad annum 635*. Statua Virginis vecta est per Gallicum pelagus, absque velo, absque remis, & absque omni nautico instrumento, hæc in Boloniensi litore constitit, altero ad puppim, altero ad proram adstante Angelo: exceperunt hospitium gratisimam Wilbertus & Duda Comites Bolonienfes, ac templum erexerunt; sed eo demum præ senio labente, apparuit Virgo, & locum novo templo designavit, pro cuius fundamentis dum eruitur terra, thesaurum inveniunt, qui ædificando templo par fuit. Quod sequitur scribit *S. Greg. lib. 1. dialog. c. 9. S. Bonifacius Episcopus Ferentinus* largitus in elemosynam depositos apud se sui nepotis aureos duodecim, quos cum nepos importunè repetit, nec habet unde Episcopus refundat, confugit ad B. Virginem, quæ illi aureos supra pallium demissa Puella septennis à Deipara petens psalterium, & legendi peritiam, utrumque concessuta. *Tb. Cantipr. lib. 1. Apum cap. 23.*

7. Quia ita est venerabilis, ut qui illi non servit fiat miser.

Sic eos *Ecclesia Græca in Mensis 30. Martij* detestatur, qui cultum Virginis abjiciunt. Simul & inimicissimi nobis, & planè execrâdi videntur, qui tuam ô Virgo Filijs; tui imaginem adorare detrectant: propterea quòd dicto audientes non sunt Divinis Patrum nostrorum decretis. *Joannes Eviratius Monachus in prælo cap. 6. cujus historiam Synodus 7. approbavit*, cum retulisset de quodam Eremita vehementer agitato impuris insultibus, & quòd dæmon illi pacem promitteret, si cultum B. Virginis relinqueret: addit, quòd illi consulenti Abbas Theodorus vir permagnus sic